



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 47. Deputati ad Surrense colloquium delati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI. Thuanus Præses, Nicolaus Rambouilletus, Pontcarreus, & Revolius, qui
A.C. 1593. Navarræ Regi a secretis epistolis erat.

§. XLVII.

Deputati ad Surrennense colloquium delati.

*Act. de la
 conf. de
 Surren. Ca-
 yet. t. 2.
 Mem. de
 l'Etoil. t. 2.
 pag. 112.*

Regis Deputati præ ceteris primi eunte Mense Aprili ad Surrennensem Pagum conveniunt, foederatorum autem Oratores prius rei divinæ interesse, ac Legati benedictionem, & mandata excipere volebant, postea & ipsi circa secundam meridiei horam die vigesima octava ejusdem Mensis advenere: altera autem die prima habebatur Sessio, ubi a Regiis petebatur, ut ipsi sua tantum nomina sine titulis, ne præjudicium alterutri ea re fieret, apponere contenti essent. His peractis mutuo sese hortabantur, ut sepositis omnibus privatæ utilitatis rationibus sincero animo publicæ salutis interderent; quibus factis Deputati concessas sibi agendi facultates, literasque exhibebant: insuper etiam utrinque necessariæ expediebantur publicæ securitatis diplomata, simulque statuebatur, ut intra fines Surrennensi Pago vicinos ab armis cessaretur, quatenus Deputati, eorumque socii libere absque omni molestiæ periculo accedere, & venire possent;

sent; quamvis enim Regii Surrennæ noctu permanissent, foederatorum tamen potissimi sole ad occasum inclinante Parisios rediere.

Sæcul. XVI.
A.C. 1593

§. XLVIII.

Bituricensis Archiepiscopi Oratio pro Navarro in Regem nominando.

Postea Bituricensis Archiepiscopus Sessioni initium dabat proluxa admodum oratione, in qua pluribus exemplis, ac testimoniis foederatos persuasos reddere nitebatur, quod tunc, si Henricum Borbonium tanquam Regem suumagnoscere detrectarent, non modo Regnum exteris, sed etiam crudelissimis suis hostibus in prædam darent, hoc tamen nefas committere abhorrent, cum iisdem, etsi Regi hæretico subjiciantur, libere, & salva conscientia suæ religione vivere, ac in sua fide immote perseverare integrum foret: cum autem hæc propositio Lugdunensi Archiepiscopo, aliisque isti addictis vehementer displiceret, suamque indignationem palam exerceret, hinc Bituricensis Archiepiscopus eidem hæc respondit: „cum foederati non alium Regem admittere velint, nisi eum, qui „vere Catholicus sit, & publice pro „Rege Catholico habeatur, hinc unice „reliquum est, ut eodem Christianæ cha-

Thu. l. 106
Avil. l. c.